

1808. MENSE FEBRUARIO. ZAGRABIAE.

Articuli Generalis, Anno 1808., die vero 29. Februarii et sequentibus Martii diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.

Anno Domini Millesimo Octingentesimo Octavo, die vero Vigesima Nona Februarii et sequentibus Martii diebus, in Libera Regiaque Civitate Montis Graecensis Zagrabieni, ex Edicto et sub Praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Comitis Ignatii Gyulay de Maros-Németh et Nadaska, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bani, Eorundemque Regnorum in Confiniis Collapianis et Vunнанis Supremi Capitanei, Sacratissimae Caesareae et Regiae Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Status Consilarii, et Generalis Campi Marschalli Locumtenentis, Insignis Ordinis Militaris Maria-Theresiani Commendatoris, unius Regiminis Pedestris Hungarici, duorum praeterea Pedestrium Regiminum Banalium Proprietarii, et Excelsae Tabulae Banalis Praesidis, celebratae Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum praelibatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Generalis Congregationis

Acta et Articuli.

(Caeteris exmissis.)

Articulus Octavus.

De Competente Sede Gubernatori Fluminensi et Ablegatis Civitatis ejusdem in Regni Congregationibus assignata.

Ex incidenti, quod medio Articuli 4. Novissimae Diaetae Civitas Fluminensis cum Portu, per Augustissimam Imperatricem et Reginam Mariam Theresiam peculiari Diplomate jam Regno incorporata, ad idem Regnum pertinere declaratur. Cum per provocatum in Articulo Benignum Diploma et Rescriptum, ab eadem Immortali Imperatrice et Regina ad Regnorum horum Status et Ordines sub 5. Novembris 1777. dimissum, praelibata Civitas immediate Regno Croatiae incorporata et praeexistenti Severinensi Comitatu ingremiata sit: Civitatem et Portum Fluminensem pro integrante Regni hujus parte considerant Inclyti Status et Ordines, hacque Consideratione ducti Excellentissimo Domino Gubernatori Sedem in Regni Congregationibus post Supremos Comites, ejusdem vero Civitatis Ablegatis inter Liberas Regiasque Civitates Sedem et Votum tribuerunt, Excellentissimo Domino Comite Bano interpellato, ut Invitatorias pro futuris Regni Congregationibus tam ad Excellentissimum Dominum Gubernatorem, quam et praedictam Civitatem dimittere dignetur; Suae Majestati Sacratissimae, quod per Civitatis et Portus Fluminensis Inarticulationem Beneficii per Immortalis